

## **NUM CONIUGES AD ALIAS NUPTIAS TRANSIRE POSSINT, PRIORE MATRIMONIO NULLO OB IMPEDIMENTUM IURIS ECCLESIASTICI**

Arduum sed nec minoris momenti Leon Del Amo pertractavit problema de efficacia consensus matrimonialis naturaliter validi. Titulus eiusdem studii "La eficacia del consentimiento en el matrimonio civil de los apóstatas"<sup>1</sup> statum quaestionis nitide innuit. Consonum est omnibus inter perplura problemata, quae in munere pastorali fungendo animarum pastoribus ansam praebent, huiusmodi primarium obtinere locum. Clarissimus auctor problematis disquisitionem magistraliter elaboravit, et solutionem laudabiliter attigit. Submisso tamen nostro iudicio totius problematis crux alium expostulat quaestionis statum, cuius solutio universalitatis notam induit, et omnibus regionum particularium adiunctis non obstantibus, erit applicanda. Quaestio- nis pondus synthetizatur ad sequens quaesitum: num ius sit Ecclesiae dandi licentiam transeundi ad alias nuptias quandocumque prius matrimonium sit nullum ob impedimentum iuris ecclesiastici aut ob non observatam formam canonicanam.

Praetermissa quaestione suscitata a Doctoribus de relatione inter ius di- vinum, naturale et positivum, et ius ecclesiasticum, quam per pulchre et sat diffuse exposuit José María Ribas Bracons<sup>2</sup>, insulsum est animadvertere numquam posee ius mere ecclesiasticum iuri naturali opponere. Sane quidem est quod Christus Christo contradicere nequit, nec Christus Deo adversari unquam posset. Ecclesia ultra vires procederet, contra suum primarium finem ageret, si quavis lege opposisset iuri naturae non modo directe sed et indirecte.

Hoc autem praefixo, de conceptu fundamentali instituti matrimonialis heic in medium proferimus ut clare appareat eiusdem essentia in ipso natu- rali iure radicata. Nemo non scit consortium coniugale institutum esse natu- rale et de cuius essentia quatuor requiri elementa et quidem sufficere, dic- tante ipsius Divino Auctore. Ut huiusmodi naturalis institutio vinculum pro- ducat, sequentia requiruntur et sufficiunt, nempe: diversitas sexus, con- sensus maritalis, unitas et indissolubilitas. Sunt quatuor elementa constitutiva conceptus essentialis matrimonii, quae a nulla potestate humana suppleri valent. Haec quadrifaria essentialis requisitio ab Ipso Divino Magistro iterum inculcatur, uti legitur apud Mattheum: "Et accesserunt ad eum Pharisei

---

<sup>1</sup> *Revista Española de Derecho Canónico*, 20 (1965) 241-266.

<sup>2</sup> *El Derecho Divino en el Ordenamiento Canónico* in *Revista Española de Derecho Canónico*, 20 (1965) 267-320.

tentantes eum, et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet”<sup>3</sup>. Per se non exigitur ut sit sacramentum, ut habeatur conceptus essentialis matrimonii, sed concurrentibus supramemoratis elementis constitutivis vinculum producit in quolibet contrahente cuiusvis aetatis, temporis, regionis ac religionis. Codex Iuris Canonici decernens de proprietatibus essentialibus matrimonii Christiani hoc innuit quando ait quod tales proprietates “peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti”<sup>4</sup>. Unitas ergo et indissolubilitas, praeter diversitatem sexus et consensum, ex iure naturali originem ducunt.

Venimus nunc ad aliam quaestionis partem, num videlicet societas aliqua humana hunc matrimonii conceptum essentiali unquam mutare, emendare possit. Apodictice negative erit respondendum; nam, mutato conceptu, dilabitur natura et essentia matrimonialis instituti. Adhuc tamen querendum de significatione vocis “mutare”. Metaphysice loquendo quod est de essentia rei secumfert genus et distinctionem specificam in suo esse, comprehendens scilicet notas exclusivitatis et immutabilitatis. De sua igitur proprietate conceptus rei essentialis expostulat absolutam immunitatem ab omni mutatione eo sensu quod si negative aut positive fieret mutatio eo ipso dirimeretur essentia. Non modo abstractione alicuius ex elementis constitutivis, uti patet, destituitur essentia rei, sed et per alieni elementi introductionem mutatur rei essentia. Matrimonii essentiam, ut iam supra visum est, constituant illa quatuor elementa, quae non solum requiruntur sed et sufficiunt. Ex quo sequitur quodlibet novum elementum a quavis auctoritate legitima impositum uti conditionem sine qua non pro validitate consensus matrimonialis, ita ut idem momentum, eandem vim obtineat ac cetera elementa constitutiva, secumferre mutationem conceptus; inde essentiae matrimonii dilatationem. Vi logicae, ergo, quaevis lex humana matrimonialem consensum irritans essentiae matrimonii adhaerere haud est censenda. Hisce omnibus praemissis concludendum est quod adstantibus quatuor elementis essentiae matrimonii constitutivis, vinculum naturaliter necessario subsistere debet. Merito ad rem habet Leon Del Amo: “Mas esta forma jurídica de la que depende la validez del matrimonio en su efecto formal no es ni mucho menos un elemento intrínseco esencial del consentimiento, sino sólo algo extrínseco a él, que impide por imperativo de la ley humana obtener el efecto formal del consentimiento naturalmente válido, aunque sin mermar su virtud intrínseca. De no existir este obstáculo extrínseco, el contrato no carecería de su efecto formal: el vínculo”<sup>5</sup>.

<sup>3</sup> XIX, 3-6.

<sup>4</sup> Can. 1013, § 2.

<sup>5</sup> Revista Española..., 244.

Quod existit vinculum naturaliter validum etiamsi coniuges forma civili matrimonium attentant, probatur articulo 42 Codicis Civilis Hispani. Leon Del Amo ad rem asserit: "Dando esto por cierto, nos basta con citar el artículo XXIII del Concordato Español de 1953, uniendo a él lo dispuesto sobre matrimonio en la declaración del protocolo final. Había que acomodar y poner en consonancia con el Concordato la legislación civil española. Hoy ya se ha puesto lo referente a la materia matrimonial. El artículo 42 de nuestro Código Civil reformado no ha sido una disposición unilateral del poder civil, sino más bien una norma redactada por nuestro Gobierno en inteligencia con la Santa Sede, la cual después de negociaciones maduras llegó a permitir o tolerar el matrimonio civil subsidiario para aquellos católicos que obstinadamente rehuyen contraer matrimonio canónico, pero que quieren casarse en forma legítima para gozar de los efectos jurídicos civiles de su casamiento"<sup>6</sup>. Relate ad verba auctoris haec sunt animadvertisenda: "permitir o tolerar el matrimonio civil subsidiario" idem est affirmare ac aliquam agnitionem huius vinculi ab Ecclesia, iuxta R. I. "Qui tacet consen- tire videtur"<sup>7</sup>; multo magis, ut ipse auctor contendit "sino más bien una norma redactada por nuestro Gobierno en intelligencia con la Santa Sede". Ecclesia numquam potuit hoc admittere si ageretur de re intrinsece mala, quod evenerit si vinculum non fuisset naturaliter validum.

Quod asserit cl. auctor relate ad formam canonicae matrimonii, de qua in canone 1094, applicari potest et debet omnibus impedimentis dirimentibus ab Ecclesia sancitis, quae illa quatuor elementa naturae matrimonii constitutiva non tangunt. Sunt quidem elementa extrinseca seu imposita ab ecclesiastica auctoritate, quae de essentia conceptus matrimonialis non sunt, nec ipsi adhaerere unquam possent. Dantur e contra impedimenta, quae licet in Codice Iuris Canonici sint sancita ex ipso iure naturae emanant. Talia sunt elementa quae in contrario constituunt conceptum essentialium matrimonii; quare uno saltem ex ipsis adstante, matrimoniale consortium consistere nequit, et nulla potestate humana supplere valet.

Bifaria haec classificatio impedimentorum p[re]ae oculis est habenda pro ulteriori clarificatione et solutione quaestionis. Hoc erit praefixe tendendum, scilicet: primae speciei impedimenta sunt absque dubio iuris ecclesiastici et ab iisdem Ecclesia potest dispensare; altera vero impedimentorum species est iuris naturalis, et super quibus Ecclesia nulla pollet potestate dispensandi. Haec praeterea impedimentorum classificatio omnino necessaria est habenda ut bene comprehendatur quandonam vinculum matrimoniale naturaliter va- lidum adsit vel minus. In priori casu, adstante nihilominus impedimento dirimente iuris ecclesiastici non sequitur deesse essentiam conceptus matrimonialis, inde deficere vinculum naturaliter validum. Dictante ipsa natura, vinculum adest, licet effectus iuridicos non gignat; quod tamen vinculum Ec- clesia nequit negligere, multo minus dirimere. Ad rem optime observat Leon

<sup>6</sup> Op. cit., 256-257.

<sup>7</sup> R. I. XLIII in 6.<sup>o</sup>

Del Amo: "Es de advertir que a la esencia de las leyes eclesiásticas irritantes o inhabilitantes no les corresponde el efecto de destruir positivamente los elementos intrínsecos del acto ya puesto y existente, sino únicamente la virtud de impedir el efecto propio jurídico que intentaba el agente al poner el acto.

Por consiguiente, la fuerza de la ley eclesiástica irritante no obliga a tener el acto jurídico intentado como acto necesariamente inexistente, ni siquiera como acto carente de todo efecto jurídico. Prueba de esto, sin salirnos de la materia matrimonial, es la legitimidad de los hijos nacidos en matrimonio putativo (c. 1.114) y la sanación en su raíz de los matrimonios inválidos (cc. 1.138 y 1.139)".

In posteriori categoria impedimentorum, adstante uno ex dictis impedimentis, matrimonium erit naturaliter nullum; quocirca consensus matrimonialis in talibus adiunctis irritantibus emissus est insanabiliter nullus. Ecclesia in elaborandis canonibus impedimenta iuris naturalis decernentibus nil fecit quam quod in scripto statuit, demonstrat et confirmat quod ius naturae impellit. Hisce omnibus praemissis concludendum est: adstante impedimento iuris naturae, matrimonium iuridice et naturaliter inexistens censetur; impedimento iuris ecclesiastici non obstante, matrimonium iuridice nullum, sed naturaliter existens est habendum, producens, scilicet, intrinsecam suam efficaciam, nempe, vinculum.

Quae hucusque dicta sunt, non constituunt quid novi. In Codice Iuris Canonici, canone 1139 S.1 datur substratum pro solutione nostrae disquisitionis. De facto quidem canon de essentia matrimonii loquitur ex sese producente vinculum quippe quod, concurrentibus quatuor elementis constitutivis, naturaliter subsistit matrimoniale consortium. Haud immerito dicendum est matrimonium naturaliter existere, si fuerit "initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente". Bifaria, praeterea, distinctio inter impedimenta iuris naturae et iuris ecclesiastici cum respectiva distinctione effectuum in citato canone quoque apprehenditur. Ex contextu canonis sequentia sunt trahenda: 1) "ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae" consensus matrimonialis naturaliter sufficit ut gignat vinculum quippe quod sanari possit iuridice. Attamen tale vinculum, licet censeatur naturaliter existens, habetur iuridice inefficax ad producendos effectus. Ex hoc iam patet distinctio inter vinculum naturale et vinculum iuridicum. Attenta superioritate et immutabilitate iuris naturae legislator ecclesiasticus non potuit aliter statuere.

2) In secunda paragrapho citati canonis prosequitur doctrinae clarificatio. Siquidem, cum auctoritas quaevis humana numquam opponere liceat iuri naturae, mutando id quod est de essentia, "Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini... Ecclesia non sanat in radice"<sup>10</sup>.

<sup>8</sup> Revista Española..., 248.

<sup>9</sup> Can. 1139, § 1.

<sup>10</sup> Can. 1139, § 2.

Hoc in casu Ecclesia non potest sanare id quod numquam exstitit. Legislator heic agnoscit suam incompetentiam in creatione illius quod a natura non est suffultum.

Sanatio in radice, ergo, de suipsius natura efficaciam actualem consensus maritalis naturaliter valide emissi praesupponit atque exigit. Haec autem naturalis efficacia, ut exquisite demonstrat Leon Del Amo<sup>11</sup>, sua sponte secumfert efficaciam potentialem effectuum iuridico-moralium e iure positivo humano provenientium. Substratum, videlicet, constituit pro efficacia actuali iuridica. Et non potest aliter concipi totus complexus huiusmodi fictionis iuris. In philosophia enim ac in iure quicquid in potentia est, idem significat ac adhuc non esse; in iure quoque nullum producit effectum, nullum ligamen aut nullam consequentiam. Licet sanatio in radice fictio iuris sit aestimanda, semper tamen postulat aliquod fundamentum in re: nam sanatur quod est infirmum, sed existit, vivit, et non quod est in potentia, quod adhuc est nascendum. Sanatio ergo in radice ex sese supponit consensum naturaliter validum, actualem sortiri efficaciam naturalem.

Tale vinculum naturale legislator ecclesiasticus nullimode potest dirimere. Contra ius naturale ageret non agnoscentis efficaciam actualem huius vinculi. Non agnoscere aut revocare id quod a natura solummodo praescribitur iten-tidem est ac abrogare, dirimere praescriptum naturae. Dirimere id quod solum natura decrevit, iuri naturali merito dicitur contradicere. Hoc sub respectu magis adhuc appareat mens auctoris: "Ni puede tampoco el legislador hacer inexistente lo que de hecho naturalmente existe con todas sus consecuen-cias. Lo que sí puede es privar al acto ilegítimo de la manifestación del con-sentimiento, de la eficacia jurídica actual que le correspondería si hubiese sido acto legítimo.

Nuestra eficacia, actual o potencial, se refiere, como es claro, a la causa-lidad jurídico-moral del consentimiento, tal cual de ella se sigue la eficacia o ineficacia de los efectos jurídicos y morales, no de efectos físicos. Nace la eficacia desde el momento que se puso el acto jurídico del consentimiento"<sup>12</sup>.

Id quod naturae iure est suffultum, immutabilitatis et universalitatis nota fruitur, transcendens omnimodam voluntatem humanam. "Es cierto que es-tos requisitos extrínsecos, si han sido exigidos para la validez del matrimo-nio, tienen virtud para impedir que el consentimiento naturalmente válido tenga eficacia jurídica actual, pero no la tienen para convertir el acto exis-tente en inexistente"<sup>13</sup>. Nulla igitur lex humana vim irritantem induens unquam potest essentiam consensus matrimonialis naturaliter validi ignorare, revocare aut dirimere.

Aliquam difficultatem infert *Pontificia Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos*, quae videtur contradicere huic nostrae thesi ca-none 1139 suffulta. Quaesitum fuit Commissioni: "an vi canonis 1078 ex

<sup>11</sup> *Op. cit.*, C), 244-245.

<sup>12</sup> *Op. cit.*, 245.

<sup>13</sup> *Op. cit.*, 248.

solo actu, ut aiunt, civili inter eos, de quibus in canone 1099 § 1, independenter a cohabitatione oriatur impedimentum publicae honestatis". Negative fuit responsum<sup>14</sup>. Responsio Commissionis prima facie videtur asserere matrimonium eorum, de quibus in canone 1099 S.1, invalidum esse ob non observatam formam canoniam; hinc Ecclesia illi nullum vinculum agnoscens, tanquam inexistentis. Patet ex nihilo nihil fieri: ex matrimonio inexistenti nullimode gigni posse impedimentum publicae honestatis. Hanc obiectionem solvit cl. Leon Del Amo<sup>15</sup>. Sed de hac re tanti momenti et nostram sententiam volumus proferre. Minime ambigitur quod ex responso Commissionis haud est deducendum vinculum esse naturaliter invalidum, inexistentis. Agimus heic de legibus humanis, de effectibus et consequentiis mere iuridicis. Si bene attendantur, praeterea, verba quaesiti ne quidem minimum postulat obstaculum Commissionis responsum. Quaeritur enim num ex forma civili matrimonii eorum de quibus in canonе 1099 § 1 oriatur impedimentum publicae honestatis. Certissime non; et futile erat quaesitum Commissioni Pontificiae positum, cum sat facilis fuit solutio problematis. Ratio evidens est: ii, de quibus in canonе 1099 § 1, praeter prescriptum in canonе 1094 sancitum, nulla alia forma tenentur si consortium coniugale instituere malunt modo naturali. Quaevis ergo legitima seu vera consensus manifestatio requiritur et sufficit; inde non exigit ulla forma civilis. Vinculum censemur existens, matrimonium naturaliter validum est habendum eo ipso quod evenit traditio iuris in corpus ad normam canonis 1081, quae fit privatim iam longe ante sollemnitatem civilem. Maximi ponderis insuper sunt verba quaesiti "independenter a cohabitatione". Si forma civilis subsequitur cohabitatione, iam exstat violatio legis publica ad normam canonum 2195 § 1 et 2197 n. 1, 3. In casu vero contrario, licet habeatur delictum ad normam canonis 2195 § 1 relate ad poenas, cum traditur ius in corpus publice, forma civili, non urget prescriptum canonis 1078. Non est praetermittenda prescriptio canonis 19, vi cuius "leges quae poenam statuunt... strictae subsunt interpretationi"; canon autem 1078 loquitur de concubinatu qui suapte natura cohabitationem exigit<sup>16</sup>. Forma igitur civilis matrimonii, in Iure Canonico absolute iuridice inefficax pro iis de quibus in canonе 1099 § 1, ne quidem minime significans iuridicam iuris traditionem in corpus, nequit unquam innuere posse concu-

<sup>14</sup> AAS, XXI (1929) 170.

<sup>15</sup> Op. cit., 253.

<sup>16</sup> BONACINA MARTINUS: *Opera de Morali Theologia*, Venetiis 1728, tom. 1, qu. 4, punct. 14, n. 8, p. 327. "Concubinatus est frequens, et consueta fornicatio cum eadem persona. Dicitur *frequens*, et *consueta*, ut advertamus ad concubinatum non sufficere unum, vel alterum actum fornicarium, sed requiri consuetudinem, qua aliqui quodammodo ita cohabitant, ac si essent simul coniugati. Unde notat Silvest. v. *concubinarus* n. 1. Riccius decis. 361 in antiquis verb. Praxis Poenarum, et Toletus. lib. 1, cap. 47. *concubinarium* dici illum, qui copulam habet cum foemina soluta, vel coniugata, tenendo eam in propria, vel aliena domo ad Venerem, ac si esset *uxor*".

FERRARI F. LUCIUS: *Bibliotheca Canonica Iuridica Mordis Theologica*, Romae 1889, tom. 5, v. *Luxuria*, n. 7, p. 205. "Qui concubinatus est fornicatio continuata cum eadem certa et determinata persona, ita ut supra fornicationem addat statum et perseverantiam, sive interim quis, vel quae personam fornicariam domi habeat, sive ex consuetudine illam conveniat".

binatus speciem aut conceptum. Committitur peccatum luxuriae simplici tradizione iuris in corpus naturaliter manifestata; evenit delictum concubinatus accedente cohabitatione; fit delictum publicum aut notorium, inde impedimentum publicae honestatis quando talis coabitatio probari potest ad normam canonis 2197, n. 1 vel n. 3.

Aliqua videtur adesse difficultas relate ad clausulam canonis 1139 § 1 “dummmodo consensus perseveret”. Legitur enim in hac paragrapho de consensu naturaliter valido; quare iam initio consensus maritalis sua sponte producit vinculum indissolubilitatis nota fruens, quod vinculum a partibus nequit unquam dissolvi: “quod Deus coniunxit homo non separat”. Consensus maritalis semel naturaliter valide emissus ex sese irrevocabilitatis proprietatem induit. Quamvis ergo, ut ait Card. Gasparri<sup>17</sup>, matrimonium sanatione in radice fit validum ex nunc, hoc nihilominus per se fieri potest etiamsi in casu quo momento sanationis consensus deficiat. Quodsi consensus ab initio adfuerit, sed postea revocatus fuerit, aut si una ex partibus in amentiam inciderit, sive perpetua et ininterrupta, sive temporanea aut periodica, non videtur absonum asserere Ecclesiam posse sanare id quod fuit coniunctum semel et pro semper. Aliter ac asserit cl. Gasparri, canon 1140 nullatenus videtur negare Ecclesiae ius sanandi id quod iam existit independenter a voluntate coniugum. Verba canonis 1140 non tradit ullam normam de potestate nativa Ecclesiae hac de re. Simpliciter tamen decernit: “Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice”; quae verba per se non implicant incompetentiam Ecclesiae hac in re; alii enim verbis “matrimonium nequit sanari” non idem indicant ac si dixisset “Ecclesia non potest sanare (nequit sanare) matrimonium”.

Ex supra relatis sequenti modo erit interpretandus canon 1140 § 1: “Si in utraque vel alterutra pars deficiat consensus, Ecclesia nequit sanare matrimonium in radice, si consensus ab initio defuerit; si vero ab initio praestitus, postea fuerit revocatus, Ecclesia non sanat, quia non vult”. Simili modo sunt interpretanda verba canonis 1139 § 1 “dummmodo consensus perseveret”.

Nec diversimode est accipienda mens legislatoris in canone 1139 § 2 expressa: “matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini Ecclesia non sanat in radice, quia non potest; etiamsi postea impedimentum cessaverit ne a momento quidem cessationis impedimenti, Ecclesia non sanat, quia non vult”<sup>18</sup>.

Hisce omnibus praemissis ad fulcrum quaestionis pervenimus. Admissa superioritate et immutabilitate iuris naturae, quaeritur num Ecclesiae ius sit aliqua impedimenta dirimentia sancire, ita ut consensus matrimonialis validitas, uno ex ipsis adstante, corruat. Heic praecise urget discrimen inter impedimenta dirimentia iuris naturae et iuris ecclesiastici. Circa impedimen-

<sup>17</sup> GASPARRI PETRUS: *Tractatus Canonicus de Matrimonio*, Romae 1932, vol. II, n. 1222, p. 267.

<sup>18</sup> GASPARRI PETRUS: *Op. cit.*, vol. II, nn. 1215-1219, pp. 264-266.

ta iuris naturae nulla adest difficultas eo quod cum consensus sit naturaliter invalidum, inde inexistentis, nulla unquam supplente auctoritate humana, matrimonii vinculum consistere posset, et effectus iuridicos producere. In similibus casibus, ut supra dictum est, Ecclesia statuit, demonstrat ac confirmat ius naturale. Sequitur propterea quod auctoritas ecclesiastica in causis nullitatis matrimonii ob existentiam unius ex istis impedimentis simpliciter declarat vinculum numquam exstisset.

Summa totius quaestionis difficultas residet in delineanda potestate Ecclesiae relate ad impedimenta iuris ecclesiastici. Non est ambigendum quod Ecclesiae ex institutione divina, uti societas visibilis, hierarchica et perfecta est constituta. Ex ipsis igitur natura potestate fruitur consensum contractualem suorum subditorum, non secluso illo matrimoniali, legibus irritantibus dirigendi. Aliis enim verbis omni iure gaudet Ecclesia, propria iurisdictione impeditre quominus consensus matrimonialis naturaliter validus, praesentibus peculiaribus adiunctis, producat effectus iuridicos. Et haec praecise circumscribitur tota difficultas: admissa nativa potestate Ecclesiae leges irritantes ferendi, altera ex parte nulla pollet auctoritate irritandi quod, dictante natura, valide existit et actuali fruitur efficacia. Urgente hac duplice veritate, merito erit concludendum quod impellente aliquo impedimento iuris ecclesiastici matrimonium dirimente, consensus matrimonialis effectus iuridico-morales producere nequit, inde iuridice inefficax est censendus. Cum vero omnimoda potestate sit destituta irritandi quod naturaliter exstat, Ecclesia nequit licentiam dare coniugibus naturali vinculo ligatis ad alias nuptias transeundi. Ratio evidens est: nam in concessione huiusmodi licentiae Ecclesia videtur adnectere elementum externum essentiae matrimonii. Si aliquod impositum externum habetur ut conditio sine qua non pro validitate matrimonii, evenit ut tale impositum idem momentum obtineat ac cetera elementa constitutiva conceptus essentialis matrimonii. Nemo non scit additione huiusmodi elementi conceptum matrimonii essentialiem corrue; essentiam matrimonii dilabi. In concessione licentiae ad alias nuptias transeundi, priore matrimonio nullo ob impedimentum iuris ecclesiastici, legislator ecclesiasticus videtur inserere alienum elementum essentiae matrimonii, ita ut quod naturaliter produxerit vinculum perpetuum et immutabile, ignoretur; censeatur inexistentis.

Haec tota disquisitio summatim hoc modo erit accipienda:

1. Ab impedimentis iuris naturae Ecclesia nullatenus potest dispensare; sed cum consensus matrimonialis sit inexistentis, numquam de facto extitit, licentiam potest concedere ad alias nuptias transeundi.
2. Ab impedimentis dirimentibus iuris ecclesiastici, cum ipsa sit auxtrix, dispensationem concedere potest; cum vero consensus huiusmodi sit tantum iuridice nullus, sed existens (naturaliter validus) Ecclesia nulla potestate pollet dandi coniugibus ad alias nuptias licentiam transeundi.

ANDREAS CUSCHIERI, O. F. M.